si viveret optare posset. Unum moneo pro meo quo-
dam etiam jure ne eum in Academia ita liberum
esse sinatis, ut non habeat ἐργοδιώκτην aliquem venera-
dum virum, cujus authoritas et studia ejus intra certas
metas contineat et mores à promiscuâ contagione
prohibeat. Caetera Deo curae erunt. Res hîc nostrae
sunt humiles et contemptae, sed bona me spes habet
labores et praedicatiunculas nostras, tùm pro Schola,
tùm pro Ecclesia non ita rejectum iri à clementis-
simo principe nostro Jesu Christo, ut non det a-
liquando per probra nostra gloriam nomini sancto
suo. Amen. 4 Idus Februarij 1562.

35./

D. Dethmaro Kenkelio
Consuli Bremae
Pax Christi.

[= Ascv. A. 7: Nr. 113]

Clarissime Consul est mercator quidam Colonien-
sis, Gaspar van Lennep, vir in ampla fortuna
mire modestus. Is nobis amicus est et charus, ex eo quod
in nostra vicinia nuper hic aedes magnificas
mercatusque solet huc certis temporibus transcurrere,
nosque laboriosos urbium Magistros suâ liberali-
tate refocillare. Quum autem, ut res fert, bre-
mae negotia quaedam habeat, et aliquando (ut fit)
in colloquio ex me audiverit eorum virorum
nomina, de quorum erga me benignitate glori-
ari soleo: ut per quos fuerim Bremae communi-
ter adjutus, postulat à me et flagitat, ut filium
suum ad paterna negotia isthuc propediem
iturum, D. Dethmaro Kenkelio venerando Con-
suli commendarem. Quo sanè officio duo mi-
hi verenda sunt: unum ne quae filius ille requi-
ret sint infra vestram dignitatem: alterum,
ne videar impudens, qui de Domini mei bene-
volentia tantum mihi praesumam, ut me ds

ineptus chartis. Sperem in alieno negotio apud
gravissimum Consulem aliquid ponderis habituras.
Attamen mira virtutis, quae in utroque vestrum est
consideratio hunc utrumque mihi scrupulum exemit.
Nimirum modestia tum in Gaspare tanta est, ut di-
ligenter dispiciatur, si quid deceat, tum in D. Consule
sic eadem mihi perspecta est, ut non dubitem ma-
iora etiam mihi de tua in me pietatis benevolen-
tia polliceri. Cum et hoc certe nomine gaudeo, me
ut [illegible] à Gaspare cordatissimo viro im-
pulsum fuisse, quod hinc mihi data occasio est qua,
quomodo declarandi me etiam nunc grata animi
memoria prosequi ea hospitalitatis tuae officia, qui-
bus me primum Bremam appulsum humanissime
complexus fovere non destitisti, donec alio vocatus
meâ voluntate sarcinas collegi, pro qua summa hu-
manitate ut referre gratiam nequeo, ita me decet
praedicare eam apud alios, et ad eandem ipsa alen-
dum modestè incitare illos, quos quoties video in-
telligam favore tuo dignos esse. Certè si quid vestra
aequitas filio Gasparis benefecerit, vel mea vel
ipsius potius praestantissimi patris causa magno
cumulo tuis in me meritis et meae erga te ob-
servantiae accedet. Vale. Duisburgi Cal. Martij
1562.

T. D. addictus
Johannes Molanus.

D. Conrado Kenckelio
Sen. nobili Bremae 36.)

Pax Christi.

Honorande vir, Conrade Kenckel. Ita ut iusseras [= Mscr. a. 4:
filium vobis remitto, invitus quidem, restabat enim No. 114]
unius anni labor ad scholae cursum perficiendum,
et est adhuc tenera eius aetas, et mihi valde in votis
erat non prius eum vobis reddere, quam puerilis do-
ctrinae cursus absolutum esset. Dispendium aliquod com-
migratio attulit, sed id facile sarciri poterat, et quotidie